



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE FIDELES ECCLESIALIS BEATA MARIA VIRGO SUB TITULO
«REDEMPTORIS MATER»

PATRONA PRINCIPALIS APUD DEUM

DIOECESIS ZAMOSCIENSIS-LUBACZOVIENSIS CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Fideles ecclesialis
communitatis Zamosciensis-Lubaczoviensis, a Nobis die XXV mensis Martii anno MCMXCII per Litteras Apostolicas
«Totus Tuus Poloniae populus» constitutae, Beatam Mariam Virginem sub titulo «Redemptoris Mater» Clara veneratione
prosequuntur, atque Ea impetrante caelestium gratiarum copiam sibi exposcunt. Ipsorum praesertim animarum utilitate
permotus, Venerabilis Frater Ioannes Śrutwa, Episcopus Zamosciensis-Lubaczoviensis, communia cleri populique vota
excipiens, electionem Beatae Mariae Virginis in Patronam principalem apud Deum dioecesis suae rite peregit, deindeque
petivit ut huiusmodi electio ab hac Apostolica Sede confirmaretur. Nos vero enixis huius Venerabilis Fratris precibus
libentissimo animo obsecundantes, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum,
facultatibus a Nobis factis, hac in re egit, Apostolica Nostra potentate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum
Beatam Mariam Virginem sub titulo «Redemptoris Mater» Patronam principalem apud Deum dioecesis Zamosciensis-
Lubaczoviensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis concessionibus, quae in Normis de Patronis
constituendis indicantur (AAS, vol. LXV, 1973, 276-279). Ceterum volumus ut hae Litterae Nostrae religiose serventur
suosque plenos effectus sive nunc sive in posterum consequantur. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VII mensis Octobris, anno MCMXCIII, Pontificatus Nostri quinto
decimo. IOANNES PAULUS PP. II © Copyright 1993 - Libreria Editrice Vaticana
